



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ærumnæ D. N. Jesu Christi**

**Thomé <de Jesus>**

**Monachii, 1676**

Ærumna XX. Sinistra judicia de actionibus Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

comparo cum suavissimis & maximis thesauris, quibus tunc non gaudeo, imò quos fugio; cheu, quàm pauper sum! super hæc omnia (qui summus est gradus miseræ) cum hæc videam & intelligam, nescio quid me teneat, quod pondus ac tœdium sit, quo impedior, ne curram ad gustandam suavitatem deliciarum tuarum. Ah Domine, nulla res me avellat à tuo amore! & quia subjectio, mansuetudo, humilitas est, quâ debeo deduci ad te, & ad perfectam curationem plagarum mearum; ecce me, Domine, ad pedes tuos! humilia me; fac ut mihi ipsi dissidens, timeam id, quòd à te separatur; ut tibi, cui debeo totum, quod sum & spero, debeam etiam curam miseriarum mearum. Quando videbo te, Domine, possessorem & pacificum inhabitatorem cordis mei? ô bone JESU, usque eò sum miserabilis, nec video, quòd ruam ad interitum nec scio te rogare, ut me liberet à me ipso. Tu, qui non indiges instrui, cum optimè videas omnia, fac pro tuo libitù mirabilia tua in hac terra plena miseræ.

O Domina Angelorum, advocata peccatorum, agna sine macula, dulce habitaculum Jesu, pia mediatrix durorum & obstinatorum! Dominus te mihi dedit, ut impetrem per te, quod ipse non mereor; quandoquidem vides, quanta mala proveniant ex cordis mei durtia, fac, Domina, descendere à fonte misericordiæ, quem tu peperisti, aquam vivam, quæ semper proluat & emolliat hanc durtiam.

O ditissimi incolæ domûs Regis æterni, natantes in dulcedine Agni! cum toti diffuatis amore Dei, nolite pati, ut ego sim tam durus. Pluite super me, quod vobis redundat: rigate hanc aridam, ut vestra demum possim societate gaudere. Amen.

## Æ R V M N A X X.

### Sinistra Iudicia de Actionibus Domini.

I.

*Durtia  
fructus, sin-  
istra judi-  
cia.*



Durtia Judæorum talia fecit in eorum animis, ut admirandum sit, quomodo bonitas Christi potuerit ea velle sufferre. Eorum unum fuit, quòd semper malè

malè iudicarent de ipsius persona, dictis & factis: manifestum lignum virulentiae in eorum corde latentis, maximè contrarium rationi humanæ. Etenim ista prona est ad iudicandum de rebus, prout apparent. Quid autem erat in Christo, quod ullam speciem mali haberet? sed malitia in eis ordinem naturæ pervertit, quæ nunquam iudicat malè de bono, nisi saltem falsa eum apparentia mali: quæ ipsa in Christo non fuit. Unde confidenter eis dixit: Quis ex vobis arguet me de peccato? non tantùm non convincere potuerunt eum, sed ne arguere quidem & insimulare, quantumvis eum odissent. Ad quod ipsi ne verbum quidem habuerunt reponere. Quod enim vitio dabant, curare ægros in Sabbatho, ita confutarat manifestè, ut non auderent ampliùs id ipsi objicere. Culpârunt illi quidem, quòd Deum Patrem suũ vocaret: sed & hoc operibus ita confutavit, ut non esset, quod dicerent. Annam petentem ab eo rationem suæ doctrinæ constanter ad ipsos suos inimicos remisit. Apud Caipham, cùm nihil afferri posset criminis, quòd non esset apertissimè falsum, statuerunt eum clamoribus & seditione opprimere; quandoquidem nulla mali species offerebatur, quâ decipi posset eorum iudicium.

II. Qui meliùs de illo senserunt, non ascenderunt altiùs, quàm quòd eum pro sancto Propheta haberent: ceteri pro sua quisque conditione iudicârunt de ipso, si ageret cum peccatoribus, sanctissimè licet eos tractaret & converteret ad meliora; non tamen evitavit, quin haberetur pro homine profano, voratore & potatore vini. Doctrinam eius aliqui novitatis insimulârunt, quo titulo mundus multa condemnat: cùmque ipse sit omnium novitatum inventor, novitatis accusat, quidquid obstat eius inveteratis sceleribus. Alii, cùm illum turbæ multæ sequerentur bonorum causâ, quæ recipiebant ab eo, habuerunt eum pro seditioso, ac turbatore quietis publicæ: alii censuerunt, saltem fore meliùs, si non publicè, vel in campis, sed privatim doceret ac sanaret ægros in ædibus, ad vitandum concursum ac rumorem populi. Vetus hic mos est mundi, ut populi concursum ad spectacula, & res profanas non culpet, sed approbet: sed ad templum, confessionem, indulgentias, ubi concurritur, pluvia fiat iudiciorum parvorum ac discordorum. Solèt enim probare illa, quibus vitia sua foventur; im-

probare, quibus impediuntur vel parùm. Denique malitia eorum adeò processit, ut miracula Domini tribuerent commercio dæmonis: non poterant opera ejus, quem deprimere volebant, alteri auctori adscribere, quàm cui ipsi obsecundabant in omnibus.

*si sinistra u-  
aia de f-  
quàm gra-  
via fuerit  
Christo.*

III, Gravis fuit hæc ærumna Domino, quæ multis argumentis exaggerabatur. Primum, qui perperam iudicantur à mundo, sæpe tardè id resciant, decepti à suis censoribus, alia omnia erga eos præferentibus. Sed Christus vidit omnium corda, & novit, unde procederent eorum iudicia, ac simul etiam damna, quæ sibi met ipsis inferebant, & quanta obstacula ponerent bonis, quæ ipsis erat collaturus: quod quidem acerbius ipsis fuit, quàm sua ipsius injuria, Nam ut amor facit sentire, quæ sunt ei contraria, propter mala ac damna illis adjuncta: quæ mala cum omnia in hos Domini censors incumbere, quantum eos amavit eorumque salutem, tantum utique sensit damna, quæ incurrebant. Præterea Magnates, qui ferè meta sunt iudiciorum humanorum, quia sunt potentes in mundo, nemo facilè vult eis displicere, sed potiùs aucupari gratiam eorum. Unde etiam illi, qui malè de ipsis iudicant, eos in faciem laudant, & extollunt illa ipsa, propter quæ de ipsis malè sentiunt: saltem omnes iudicia sua sinistra dissimulant, caventque ne resciantur ab illis; multò minùs dicunt eis in faciem, ne malum incurrant. Christus autem pro exemplo & solatio suorum, qui similia erant passuri, voluit subire mala iudicia cum omnibus circumstantiis, quæ possent ea graviora efficere. Quare sustinuit, ut posita omni verecundia in faciem ipsi impudenter ingererent, quæ sentiebant de ipso. Denique homines bona intentione se munire solent contra sinistra iudicia, tamen non semper opus externum bonæ intentioni mentis sit congruum, imò sæpe contrarium. Sed Christi non intentio sola, verùm etiam opera adeò fuerunt inculpabilia, ut etiàm si mali quid potuisset habere in animo, nulla tamen ratione etiam maligna, id posset deprehendi in eius operibus: addò usquequaque sancta & perfecta fuerunt, & quidem constanter per omnem vitam: atqui mala intentio tanto tempore sub mantelo virtutis non potest latere, quin aliquando appareat.

Quantum

Quantum verò senserit hæc judicia Dominus, in pluribus Psalmis ostendit, cum per os Davidis petit judicari secundum justitiam suam, & liberari de gente non sancta: & deinde etiam in Evangelio questus est, quidquid agat, à Judæis malè accipi; nec posse se quidquam apud eos proficere, propter sua perversa judicia: aliàs difertè dixit eis, ut justum judicium judicarent, ne judicentur, & pari mensura in se arcessant judicium.

IV. Sanè, qui proni sunt ad judicandum, graviter sibi ipsis præjudicant. Nam sive in bonis actionibus aliorum sint nimis rigidi exactores, sive in malis notoriis judicent absque misericordia; certi sint, se quoque manere judicium sine misericordia: si verò de bonis judicent malè, habent judicium Apostoli dicentis: *Tu quis es, qui judicas alienum servum? in quo enim alterum judicas, te ipsum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas: Id est, ut explicat S. Chrysostomus: etsi illa non facias, non tamen judicares malè, quæ alius facit, nisi in te ipso haberes inclinationem ad illa. v. c. Impatiens, cum videt alium patienter aliquid ferre, ex se ipso metitur illum & judicat, non ex patientia sed ex mera dissimulatione ipsum id ferre. Ita profanus ac tepidus, videns alium insistere orationi, judicat eum id facere ex hypocrisi: quia scilicet ipsemet non ex pietate id faceret, sed ex hypocrisi. Et improbi, quidquid boni vident ab aliis fieri, tribuunt odio, iræ, simulationi, aut alteri vitio, qualibus ipsi abundant. Siquidem omnia judicia sinistra proveniunt è radice mali, quod est in animo judicantium. Quod clarissimum est è multis experimentis: nam eodem opere bono alius ædificatur, quo alius offenditur, puta oratione, jejunio, sermone pio &c. cujus non est alia ratio, quàm quòd judicium suum non fundent in ratione, sed in affectione propria; quæ quò peior est, eò deterius judicant. Similiter duo vident idem opus malum; sed unus condolet, cupit morderi, oculere; alter autem castigare, propalare &c. & sic eodem opere unus movetur ad misericordiam, alter ad crudelitatem. Ac proinde verum est, eum, qui malè de altero judicat, condemnare se ipsum: quia talis mali radix latet in illo, quale est ejus judicium: unde nisi Deus impediret, ille idem omnino patraret, quod*

*Quam malum sit, malè judicare de altero,*

*Rom. 1. 4.*

*Id eian. la oriuntur è malo eod.*

quod alter, quem iudicat. Ac licet non debeas iudicare bonum, quod aperte malum est; id enim esset contrarium iudicio DEI: nihilominus tamen ea moderatione iudicii utendum est, ne ex eo appareat vitium latens in animo tuo, & sic te ipsum condemnes.

*Remedium  
contra hoc  
vitium.*

V. Qui proni sunt ad malè iudicandum de omnibus, in oculis DEI cogitent se esse omnium pessimos, ac DEO soli debere, si non patrent omnia, quæ malitia humana potest excogitare: quia clarè vident, quòd, cum ipsi tantum mali reperiant in omnibus, hoc totum oriatur ex propria imaginatione, & suo corde, tot malorum capace. Cohibeant ergo linguam, ut ea malignitas maneat inter Deum solùm & ipsos. Deinde omnia iudicia mala, quæ ipsis occurrent, vertant in se ipsos; & accusent se de maligna radice, è qua illa proveniunt, sempèrque studeant invenire modum excusandi proximum: quem si non inveniant, fateantur coram DEO, se esse adhuc peiores proximo, utpote qui contra eum tam durè sint: & cogitent, si ille sic agnosceret errorem ut ipsi, futurum ut se ipse emendet. Unde meritò inferitur, eum, qui sic iudicatur, esse meliorem his, qui eum iudicant, utpote qui sint aded maligni censores. Quibus autem ex officio convenit alios iudicare, & corrigere, prius in corde condemnent se ipsos, ut alios iudicare possint cum DEI timore. Omnes autem nôrint, quod Theologi docent, eos DEO plus debere, qui præservantur à peccatis, quàm quibus remittuntur commissa: sicuti plus illi debeo, qui me defendit à plaga, quàm ei, qui sanat percussum. Et verum est, quod S. Augustinus dicit, Deum condonare mihi tot peccata, quor potui committere, & commissem, nisi me ille præservasset. Non est autem peccatum, quod facit ullus homo, quod non faceret alius quisque, nisi præservaret eum is, à quo factus est homo. Ac proinde meritò quisque potest habere se ipsum pro tam malo, quàm videt alium esse: & gratias agere, quòd sit præservatus ab illis, quæ videt alios facere; & rogare ne sinatur eadem facere.

*Cur non  
curanda  
mala*

VI. Hinc etiam intelligitur, non esse, cur servi Dei curent inconsiderata iudicia hominum, habentes pro certo, se illa declinare non posse; cum neque summa innocentia & sanctitas Christi fuerit

fuerit ab illis immunis. Imò cum primùm statuerint Deo servire, <sup>judicium</sup> aspiciant hanc crucem & molestiam; quam ut Christo intulit <sup>hominum.</sup> mundus, ita servis eius non parcat. Mundum appello, quicumque in quolibet gradu vel statu non habent spiritum faciendi illa bona, de quibus iudicant malè, neque sunt experti pulchritudinem virtutis. Cujusmodi sunt non sæculares tantùm, sed etiam Religiosi & Ecclesiastici, suæ obligationis immemores & perfectionis, quam profitentur. Verum quidem est, iis, qui nondum longè processerunt in rebus divinis, valde dolere hujusmodi sinistra aliorum iudicia: sed cum altius elevati fuerint, facillè perferent. Interim recordentur, quantum Deo debeant, ut constanter sequantur bona, quæ Deus ipsis dat intelligere: sibi que persuadeant, mundum non iudicare malè de bonis ex odio mali, sed tantùm ex studio elevandi seu deprimendi virtutem. Amat enim vitia, licet nòrit esse mala; & ut ea defendat, possitque liberius ea sectari, extollit & approbat; ac proinde virtuti, quæ est ipsis contraria, nomen illorum imponit. Hinc pietatem vocat hypocrisim, zelum passionem, justitiam rigorem, &c. ut, cum fecerit virtutem haberi pro vitio, illa perdat æstimationem, & ipse vitia sua sequi possit liberius. *Si de mundo* <sup>lo. 25. 9.</sup> *fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Ita, si virtuosus verè forent improbi, sicut eos iudicat mundus, laudaret & extolleret; sicut vindicativos laudat quasi cordatos; vanos, ut generosos; prodigos, ut liberales; & faveret eis in malo, quod eis imponit per sua iudicia. Sed quia scit se virtute, quam probi sequuntur, condemnari, ideo eos odit, & ut malos persequitur, quò trahat eos in suam partem, vel saltem infamet virtutem. Quare, ut aliis in rebus non curatur iudicium imperitorum, ita nec eorum iudicia curanda sunt, qui nullum habent usum virtutis, sed tantùm sunt exercitati in vitiis. Nec tamen hoc dico servis Dei, ut ceteros habeant omnes pro improbis, sed ut nòrint astutiam demonis, quæ conatur eorum constantiam labefactare per sinistra iudicia; & illa vincant suâ patientiâ, orantes pro his, qui se, & virtutem persequuntur, dicântque cum Apostolo: *Mihi pro mi-* <sup>1. Cor. 4. 5.</sup> *nimo est, ut à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque*  
 Li me ipsum

*me ipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est.*

*Servi Dei,  
quomodo  
armandi  
contra ju-  
dicia.*

VII. Ubi notanda sunt tria monita magni momenti. Primum, ut neque in bono, neque in malo pendeamus ab humano iudicio; quod ut infirmum est, ita falsò, & absque ratione probat, improbat quidlibet, ac magis ex propria imaginatione vel affectu, quàm ex rei veritate. Ac proinde non est sufficiens causa aliquid agendi vel omittendi. Si enim hæc iudicia sequi velimus, non poterimus satisfacere omnibus: quia quilibet habet proprium iudicium, diversum ab aliis. Secundum, ut in rebus nostris non fidamus etiam iudicio nostro. Sufficiat nobis bona intentio, & cum timore Dei, atque consilio alicuius servi Dei, quando est opus, id sequamur, quod videbitur melius, & majoris obsequii Dei, cui soli purè desideramus placere, quantum poterimus. Est autem tanta nostra obligatio erga Deum, & nostram salutem, tanta etiam imperfectio nostræ miserabilis naturæ, ut nemo debeat cogitare, se Deo placere ex toto, neque iustificare se ipsum: id enim esset involare in officium Dei, & humilitatem amittere. Nec est levis tentatio, quâ quis cupit nôsse, in quo statu sit animæ suæ. Deus, qui tantopere nos amat, non id nos celâset, si novisset expedire, ut hoc sciamus. Nostrum est, ut studeamus satisfacere: sciamus autem, nos nunquam facere, quantum debemus: & quanto magis iudicaverimus contra nos ipsos, tanto sincerius & perfectius faciemus nostrum officium. Tertium, ut, qui vult quietus vivere inter humana iudicia, conjiciat oculos in Deum, qui videt omnia, seque humiliet, procurando ei semper placere. Cùm enim regamur summâ Sapientiâ videntis, & iustâ lance ponderantis omnia, nihil apud eum perdemus; quia est Iudex, qui bona, quæ videt, adjuvat & auget gratiâ suâ, ac supplet favore suo nostras imperfectiones, excitat nostrum languorem, & illuminat intellectum, ut videat ac fugiat mala: & quæ mala videt in nobis, impedit, corrigit, & misericordiâ suâ condonat.



## EXERCITIUM

## Contra Sinistra Iudicia.

I.

Sapientissime Iudex, & æquissime Scrutator interiorum meorum, quem nihil latet, & cuius oculi semper aperti sunt super bonos & malos: tu vides cor meum, & quod in eo tibi displicet, tu scis: tu nōsti, quantum tibi debeam, & quā male satisfaciam obligationi meæ in servitio tuo. Ubi me abscondam à tuo iudicio; *Judicium Dei non possumus evitare.* Si ascendero in calum, tu illic es; si descendero in infernum ades: *Psal. 138. 8.* in centro terræ oculis tuis patebo. Melius est mihi, videri ac cognosci à te, quā abscondi, etiamsi possem: quia absconditus retinere mala; tu verò semper aspicias me cum misericordia. Et quamvis propter id, quod in me est, habeam rationem timendi te, & fugiendi; attamen quoniam extra te fugiam, qui potes mihi mederi? Ergo Deus meus, & Iudex meus, aspice me piis tuis oculis. Vide, quomodo crescant in me mala: vide laborem ac studium, quo conantur hostes mei me separare à te: vide debilitatem meam in resistendo, malitiam in peccando, inopiam virtutis, & negligentiam in tuo obsequio. Judica me, Domine, secundum justitiam & innocentiam meam, quæ oritur à meritis laborum tuorum, & secundum amorem æternum, quem erga me habes, videns, quidquid est in me & contra me: & quod ex mea parte habeam justam quodammodo causam, quæ valet in tuo divino iudicio, & quam dat mihi sudor tuus, sanguis tuus, dolores tui, & ærumnæ, quas exantlasti in hoc mundo, simul cum innocentia tua, & supersubstantiali perfectione, quæ patrocinatur mihi apud te. Lege, Domine, in his legibus, quas tu mihi scripsisti, sententiam mihi congruam; & secundum illas pronuncia. Aspice, Domine, radicem totius mali, quod in corde meo plantatum est, & inclinationem ad omne peccatum, omnisque boni imperfectionem: exerce justitiam: totum expelle à me, & planta in meo corde, quidquid vis in eo crescere & fructum afferre.

II. En, bone Jesu! cum video cor meum malignum, timeo videri à te, & cogor dicere, ut avertas faciem tuam à peccatis meis: *Ea proinde sola rimanda sunt.*

Li 2

cum

cùm autem video, quòd à te solo possit curari, timeo, ne id digneris aspicere, & cum eodem Propheta supplico, ut respicias illud cum misericordia, ac dico: Cor mundum crea in me, DEUS: quâ te omnia sana effeceris. Recordare, Domine, quod olim ad Noë dixisti, tanquam verus inspector cordium: *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Unde nihil ab eo boni procedit, quo gloriari possimus, ut meritò pro omni mali fonte id reputes. O Fons omnium bonorum, qui non minus restaurare potes, quòd corruptum est, quàm creare de novo; crea in me spiritum novum, qui restauret animæ meæ bona, quæ perdidisti. Nisi enim tu id facias, quid in eam boni intrabit? Tu vixisti inter homines, & studuisti curare illorum vitia: exhibuisti te speculum omnis perfectionis: nihil omisisti, quòd ad eos erudiendos & illuminandos spectaret; & tamen invenisti eos tam perditos ac perverfos, tamque suffocatos virulentia malorum, oriundâ ex corde humano, ut non modò bona tua rejicerent, sed etiam veritates, quas docebas, reputarent pro talibus, quales erant ipsimet. O Fili DEI vivi! adoro hanc mansuetudinem ac patientiam, quâ tolerasti tantam improbitatem cordis humani. Videor mihi quodammodo plus debere tibi, quòd volueris ita iniquè judicari, quàm quòd occidi. Quia ad occidendum potuit eos excæcare furor ac perturbatio, quâ inferrent tibi mortem, qualem optabas; sed nullâ diligentia & studio poterant invenire in tuis dictis & factis, quo decepti sic judicarent, ac malè de te sentirent: nec erat, quo excæcarentur, nisi propria malitia vilissimi animi, & mendacia, quæ tu aversaris tantopere.

*In actionibus Domini nihil culpæ paripatuit.*

III. Quæ bonitas est ista, quæ hoc tolerat! Ah mi Jesu! mundus adhuc nescit judicare de te, nisi secundum ea, quæ ipsemet agit. Nescit manducare cum suis, nisi inebriando se: ita non potest cogitare, quòd te fontem salutis divinæ demiseris ad manducandum cum peccatoribus, ut eos salvares. Ipse commercium habet cum diabolo, cui obedit vel servit; unde non potest cogitare de tua divina virtute, quòd, quæ ex tua bonitate præstas hominibus, facias sine auxilio satanæ. Quid videt in re, quòd talia de te sentiat? non audivit unquam verbum otiosum ex ore tuo: non vidit in modestia

modestia tua innocentissima ullam levitatem aut vanitatem: non reperit in tua doctrina quidquam, nisi divinum: non invenit in tuis miraculis ullam imposturam: nihil prorsus in te vidit, cui esset reprehensioni affine: nihil desiderasti de rebus ipsius, nihil admisisti, neque procurasti. Cur igitur adeo malè sentit de te nisi quòd hanc injuriam voluisti ferre pro me? ò bone Iesu! Tua flagella, corona spinea, colaphi, crux tua, faciunt è latronibus cives celi, & sanant peccata tuorum tortorum: sed iniqua iudicia, quæ toleras, faciunt hos Iudices magis incurabiles, & occludunt omnè aditum luci tuæ, & excludunt ab eis omnem misericordiam. Sis benedictus in æternum, qui tuo tanto dispendio voluisti me consolari, quando similia patior; & ostendere, quantum cavere debeam ab hoc perverso corde humano.

IV. Ah mi Domine, Redemptor animæ meæ, & Salus istius cordis infirmi! Ecce me hîc ante misericordiam tuam conquerentem, & lamentantem ex intimis visceribus in auribus tuis. Tu dicis, quòd omnis inclinatio mea semper tendat in malum: & corda filiorum Adæ mihi confirmant, hoc adeo verum esse, quòd semper desiderent malum, ut etiam bona tua, quæ incurrunt in oculos eorum, non possint aspicere, nisi ut mala. Ah Deus meus, ah bonitas infinita! lego jam non venio ad bonitatem tuam, quia non possum fugere me ipsum, nisi saner per ipsam, quæ sola vim habet superandi tantam malitiam. Sanè hodiè que sum talis; quod mihi prohibes, iudico bonum; habeo pro vita, quod occidit; pro solatio, quod me sejungit à te; reputo legem tuam pro gravi, tuam conversationem pro tristi; dimittere peccata pro molesto; committere verò pro jucundo; occupari semper tecum, pro fastidio; consumere vitam, in vanitate pro refrigerio; tuas delicias pro nausea, corporales autem pro refocillatione. Et quod pejus est: celi per tuam fidem credam contraria, sequor tamen iudicium terrenum, quod semper deorsum me trahit. Quando, Deus meus me liberabis ab hoc? quid est in me, quod non semper crurat in malum? ipsa bona, quæ mihi largiris, iudico tam malignè, ut, si ea modò mihi dedisses, non esses qui es: nam à misericordia tua, sumo ansam iudicandi, quòd me possim effundere in plura pecca-

*Malignitas  
cordis hu-  
mani.*

ta: à tua patientia, quòd emendationem securè possim differre: à tua pietate, quòd salvari possim, & placere tibi, vivendo ut libet cogito in corde meo, posse convenire tuum cibum divinum cum his meis abominationibus: censeo, tuam justitiam leni brachio perfricturam peccata mea, & sine emendatione condonaturum: omnia in me sunt inordinatus affectus, & perversum iudicium. Extende, Domine, & ò mi bone Jesu! hanc bonitatem, qua me nunc toleras, ut me cures etiam, sicut est opus.

V. Bene vides, Domine, me esse tam infirmum, ut profano me habeam, & glorier qualicumque scintilla boni, ac virtutis, quam interdum mihi das habere vel concupiscere. Volo ab hominibus aliter aestimari, quàm sim; nec fero iudicari finistrè, cum fieri non possit, ut pro tam malo ducant homines, quàm tu vides me esse. Sana, Domine, hæc ulcera mea tua virtute, fac ut levem oculos meos ad te, & illumina eos, ut videant in te, quod habeo in te; & in me, quod displicet tibi in me. Non sinas me ampliùs decipi in iudicio rerum; sed fac, ut iudicem de illis prout sunt; ac de me, prout revera promereor; de te verò DEUS meus ita, ut aestimem, desiderem, & amplectar te, velut meum verum Dominum, iudicem, Patrem, & omne bonum. Reforma, Domine, vires istius animæ; quandoquidem eas propter te creásti: munda cor meum, quandoquidem vis, ut hoc tibi præcipuè præbeam. Abundet in me tua misericordia, faciendo ex hoc altissimo malorum pelago, domum & habitationem tui divini Spiritûs: & quia sum semper inclinatus ad venenum, quod me à te separat, occidit ac fugat à te; veni tu ad m, ac præsentia tua errores hujus creaturæ emenda.

VI. Una ex præcipuis illusionibus, quæ oriuntur à superbia mea, est, quòd nimium curem humana de me iudicia. Nam tu, DEUS meus, optimè scis, quòd ea non ita sentirem, si non magni facerem ab aliis laudari, quæ facio. Quanta verò sit hæc vanitas, tu nôssi humillime Jesu; quantum noceat mihi, tu intelligis. Quid mihi facere possunt hominum iudicia? Ego in rei veritate sum talis, qualis iudicor à te: laudibus illorum non fio melior, nec pejor eorum vituperiis: quando nullus eorum est ita pervers-

*Non possumus iudicari tam mali, quam Deus videt nos esse.*

*Humana iudicia curare superbia.*

perversus, ut tantum mali de me judicare possit, quantum nasci posset ex hoc miserabili corde. Et si omnes creaturæ convenirent ad me condemnandum de malis, quæ contra te facio, non possent ea justa lance pensare: quia scædiora & magis abominanda sunt, quàm ipsæ possent perpendere. Quid igitur queror? O mi justissime Judex! ego queror, homines queri de me: in omnibus, quæ facio, cogito, quid judicaturi sint homines: omnia verba trutino, ut placeam illis: vellémque omnium affectus & judicia conjungere, ne ullus discrepet, aut sequiùs de meis rebus judicet. O misera vanitas! quantum orationis adimit mihi? quomodo occupat meum cerebrum? quomodo contristat? quot cogitationibus implet, tibi DEUS, non gratis? quantò maior autem vanitas est illa, quòd mihi complaceo, cùm illis videor bene fecisse; cùm audio, mea conversatione esse contentos; cùm desidero nòsse, quid de me sentiant, non ut emendem aliquod erratum; sed tantùm, ut satisfaciam mihi met ipsi? O quàm purus est ille Spiritus, qui negligit hæc omnia, nec vult aliquid eorum audire.

VII. O piissime Curator animæ! rape ad te omnem meum sensum, cogitationem & intentionem: miserere cordis mei tam dissipati. Satisfacere tibi, Deus, animæ meæ, grave non est; quia facile acquiescis, & bonitatem tuam accommodas ei, quod possum ac scio. In his, quæ meam salutem concernunt, manifestasti mihi voluntatem tuam, ne errem: in aliis, quæ tanti non sunt, ut sit opus certos esse de tua voluntate, contentus es bona intentione, ac bono desiderio, quamvis tuæ voluntati non ad unguem conveniat. Cùm labi me vides, sustines & adjuvas ad resurgendum: neque unquam coram te sum tam malus, quin pietas tua inveniatur rationem mihi favendi. Tecum, Deus meus, semper bene procedo; sed hominibus, qui parùm intelligunt, & judicant ex affectu ac diversissima inclinatione, quomodo possum satisfacere? sine consideratione approbant, improbant quidlibet. Unus vult me pati, quod alter vult me ulcisci: unus habet me pro humili, alter pro simulatore: unus pro homine nauci, alius pro circumspecto: & sic omnia temerè judicant absque fundamento. Si verò etiam satisfacerem eis, quid facerem lucri? quid prodesset hoc animæ meæ?

VIII.

*Deo facile  
est satisfacere.*

VIII. O mi Creator ac divine Magister, infinitas tibi gratias ago pro amore, quo me voluisti solutum omnibus istis curis, omnes meas cogitationes & obligationes conferre in hoc unum, ut te amem, tibi que serviam toto corde. Si obligarer ad non offendendum quemquam, sed satisfaciendum omnibus, fuisset impossibile facere tuam voluntatem, & non peccare in homines. Unī ergo tecum has dispersiones Israël: aufer ab isto corde æstimationem judicorum hominum, sive bona, sive mala sint; ne ulla res extra te illud attrahat sibi. Non finas me velle satisfacere mundo, cui tu nunquam satisfacisti; neque audire judicia ejus, qui nunquam judicavit bene de te. Tibi soli cupio satisfacere; tibi offero omnia interiora & exteriora mea. Viva semper sit in corde meo divina tua præsentia; eleva semper ad te spiritum meum; ut avulsus ab omni eo, quod non potest implere me tuo amore, vivam semper in, te de te loquar, de te cogitem, ad te aspirem, in te quiescat cor meum, o mi bone Jesu, mi Judex æquissime, mi amice piissime, mi suavissime Redemptor & Salvator!

O Mater Dei, plena gratiâ, & Domino, qui semper est tecum, quàm magna ac dives fuisti in oculis Dei Domini nostri, & quàm ignota mundo! Per illa vincula puri amoris, quibus unita fuisti semper Deo, Domino, Sponso, Filio ac divino thesauro tuo, impetra mihi, ut sibi cor meum simplici & sancta intentione ac puro amore in omnibus rebus adstringat, ne unquam ab ulla creatura trahatur. Curia cælestis, gratissima Domino, ac Iudici divino, sed mundo non cognita neque accepta; conjicite inter hæc vestra bona cogitationem in me pauperem, ut occupatus vobiscum, non possim perverti rebus vitæ istius. Amen.

## Æ R V M N A X X I.

### Murmurationes.

#### I.

*Murmura-  
tio proles  
mali judi-  
cii.*



Malis judiciis plerumque murmurationes nascuntur: quas quàm grave sit pati, ex eo cognoscitur, quòd alias hujus vitæ molestias mitiget assuetudo; hæc autem quò diuturnior, eò intolerabilior fiat. Est murmuratio Carnifex & Licetor mali judicii; quia